



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 40. Principum atque Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

Sæc. XVIII. rent, & aliunde ridiculum hoc effo.
 A. C. 1739. gium ad Lutheri imitationem adopta
 tum luculentam schismatis tesseram
 fore arbitrarentur, ipsi vero adhuc
 dum se in Catholicæ Ecclesiæ Matr
 suæ gremio foveri jactitarent.

§. XL.

*Principum atque Illustrium
obitus.*

Inter Præfules hoc anno denatos de
 vigesima quinta Januarii anno æta-
 tis suæ sexagesimo nono in sua Abba-
 tia vivis ereptus erat Bertholdus Meli-
 censis Abbas, qui ob insignem pruden-
 tiā rarasque animi dotes non modo
 Cæsari a secretis consiliis esse meruit,
 sed etiam anno hujus sæculi absente
 Imperatore Austriacarum ditionum Ad-
 ministrator nominatus fuit. Mensem
 pariter Februarium vitæ suæ exitialem
 habuit Augustus Zacco Travisanus Epi-
 scopus, & Mensem Septembrem Be-
 nedictus de Benedetti Spoletanus An-
 tistes. Ineunte autem hoc anno sa-
 tis cessit Joannes Baptista Massillon Be-
 rulliani Oratorii Presbyter Savignya-
 nus Abbas & Claromontanus Episco-
 pus. Die vero decima septima Septem-
 bris Romæ mortalitatem exuit Ernestus
 Emmanuel Comes de Harrach Nitriæ in
 Hun-

Hungaria Episcopus, Cæsareus apud Sæc. XVIII.
Papam Administer nonnisi triginta qua- A.C. 1739.
tuor annos natus: Pariter anno ætatis
quadragesimo nono deceffit Maria An-
na Gabrielina de Bourbon Abbatissa
S. Antonii de Campis. Die autem
quarta Augusti obiit Renatus Fran-
ciscus de Beauvau Narbonensis Archi-
episcopus, acerrimus Constitutionis
vindex, qui præter quadraginta Epi-
scoporum instructionem etiam concor-
data acceptaverat: Successorem ha-
buit Joannem Ludovicum de Breton
a Crillon antea Tolosanum Archiepisco-
pum. Hunc pari fato & gloria seque-
batur Vincentius Franciscus de Maret
San. Macloviensis Episcopus, qui An-
no 1724. Mense Octobri in Diæcesana
sua Synodo interpositam appellationem
revocavit, & Constitutionem pure ac
simpliciter recepit. Vivere desit die
vigesima quarta Septembribus: Eidem
suffectus est Abbas Fougasse de la Ba-
stie Vicarius Generalis Carnutensis.
Denique Josephus Petrus de Castellana
Foro - Juliensis Episcopus post accep-
tam Constitutionem & præfatam In-
structionem pie in Domino obiit. Ean-
dem quoque æternitatis viam ingressi
sunt Mense Novembri Gabriel de Cos-
nac Augustinianus Episcopus expleto
octogesimo sexto ætatis anno, & Mense
Septem-

Sac. XVIII. Septembri Benjamin de Lisle Dugal
A. C. 1739 Lemovicensis Antistes, cui succedit

Abbas de Colasques, Vicarius Genera-
lis Bituricensis. Præterea Fescennæ
die prima Martii vigilantissimus ibidem
Episcopus Joannes Franciscus Tende-
rini pie in Domino obdormivit.

Ex Principibus Laicis Mense Ja-
nuario hujus anni e vivis exceperunt
Augusta Ludovica Dux Saxonico Barby
die quinta Jan. annos nata quadraginta
& unum; Carolina Ludovica Princeps
Anhaltino - Schaumburgensis die se-
cunda ejusdem Mensis anno ætatis
quinquagesimo nono: Ludovicus de
Brancas Dux de Villars, qui relata
Aula apud Patres Oratorii solitariam
duxit vitam, ibidemque die vigesima
præfati Mensis septuaginta sex an-
norum senex pie in Domino obiit: Fri-
dericus Wilhelmus de la Tremouille
Princeps de Talmont annos natus octo-
ginta & unum eodem Mense decepit.
Sicut & die vigesima secunda Wences-
laus Ferdinandus Princeps de Lobko-
witz quindecim annorum Juvenis obiit.

Die quarta Februarii nonni si tri-
ginta quinque annos natus Romæ vitæ
theatrum post plurima utriusque for-
tunæ fata reliquit Muley Abdar Rah-
mann seu vero nomine Muley Achmet
Marocanus Princeps, de quo iam su-

pra
da
ra
ptu

In
Ne
tru
na
mit
DO
Cl
Gr
del
Cle
day
sci
mer
Pr
pop
qu
X
nij
ref

sua
Ca
da

pra

pra frequens erat mentio: Eidem qui- Sæc. XVIII.
dam Amicus magnificum construi cu- A.C. 1739.
ravit mausoleum, cui sequens inscul-
ptum legitur epitaphium.

D. O. M.

*Laurentio, Maurochii Principi, olim
Ismaelis Mauroccani, & Tessani Regis
Nepoti, qui æmulator Patris Abdullæ Pa-
truco erepturus regnum, dum quærerit exter-
na auxilia circumventus Patruo captivus
mittitur, moxque ex custodia & imminentि
cide evadens per finitimam Hispaniam ve-
nit Romam, ubi Fidem amplexus est A.D.M.
DCCXXXIII. pridie Nonas Martias,
Clemente XII. Pont. Max. cuius Nomen.
Gratiam, non impares conditioni opes, post
deletum salutari unda Remetis nomen per
Clementis sororis filium, F. J. A. Gua-
dagnum, S. R. E. Card. Vicarium, su-
scipiente eum ex sacro fonte Ejusdem Cle-
mentis Fratris filio Bartholomæo Corsinio,
Pro-Rege nunc Sicilicæ, quamdiu vixit,
possedit. Amicus mærentissimus P.P. M.
quievit A. D. MDCCXXXIX. Ætat.
XXXV. IV. Non. Febr. ac Pontificam mu-
nificentia humatus sub facello S. Francisci
resurrectionis diem expectat.*

Reliquerat hic Princeps Conjugem
suam natione Armenam, pariter fidei
Catholicæ addictam, & tunc gravi-
dam, quæ etiam post Mariti obitum
Romæ

Sæc. XVIII. Romæ Filium enixa est. Die autem
A. C. 1739. vigesima Martii trimulus decessit Jo-
 sephus Wenceslaus Princeps de Liech-
 tenstein, & paulopost Nicolaus de Cor-
 dona Dux Medina - Cæli necnon Fran-
 ciscus de Toledo Dux de Alba ambo
 Hispaniæ Grandes. Sexagenarius vero
 die vigesima nona Aprilis naturæ con-
 cessit Anna Maria Josephus de Lotha-
 ringia Dux Guisius, & die duodecima
 ejusdem Mensis Franciscus Bernardus
 Potier Dux de Gevres Par Franciæ:
 Die vero tertia Maij expleto anno re-
 tatis septuagesimo tertio fatis functa est
 Maria Anna Borbonia Contii Principis
 Vidua, quæ in pietatis exercitii se-
 nescens, vivum virtutum exemplar e-
 vasit, suique nominis famam immorta-
 lem reddidit. Eodem quoque Mense
 septuagenario Major Neapoli mortuus
 est Princeps de Casano ab Arragonia.

Die autem decima octava Junii Ca-
 rolus Fridericus Holsato - Gottorpianus
 Dux celeberrimus sui ævi Heros post
 elusas frequentes Martis insidias in
 mortis casses incidit, nonnisi quadra-
 ginta annos natus: Præcesserat hujus
 Principis obitum mors Sophiæ Chri-
 stianæ Ludovicæ hæreditariæ Principis
 de Tour & Taxis Georgii Friderici Ba-
 ruthani Marchionis Filiae, quæ anno
 hujus sæculi trigesimo primo die

de

Sæc. XVIII.
A. C. 1739.

decima Aprilis Alexandro Ferdinando
nupta agnito errore, Lutheri sectam
ejuravit diuturno autem morbo con-
sumpta anno ætatis suæ vigesimo nono
die decima tertia ejusdem Mensis Bru-
xellis obiit; Mensis vero Augusti diem
decimam sextam vitæ suæ postremam
habuit Catharina Bertha de Boufflers
Ducissa de Popoli nonnisi triginta sex
annos nata & Dominicus de Guzmann
Medioæ Sidoniæ Dux: Pariter Pala-
tino. Birkenfeldensis Domus luxerat
mortem Friderici Bernardi, qui qua-
dragesimo secundo ætatis anno die
quinta Augusti viam æternitatis ingres-
sus est, quam ejusdem Mensis die vi-
gesima octava etiam triverat Christia-
nus Nassovio - Dillenburgensis Prin-
ceps expiato quinquagesimo primo vitæ
suæ anno. Die vero duodecima Se-
ptembris septuagesimo secundo ætatis
anno decepsit Jägerburgi Ernestus Lu-
dovicus Hasso - Darmstadianus Land-
gravius pertinax suæ sectæ cultor; &
die trigesima Amalia Ludovica Nasso-
vio - Siegensis Princeps, necnon deci-
ma nona Anna Maria Princeps Soubi-
sia septendecim annos nata, ac demum
die quinta Septembris Francisca Prin-
ceps Mansfeldia obierunt. Mense au-
tem Octobri mortalitatem exuerunt
Parisiis Francisca Carolina d'Aubigne

Du-

Sæc. XVIII. Ducissa de Noailles quinquagenaria,
A.C. 1739. & tricenaria Catharina Colon Bervio
 Ducis Vidua Madriti, ac die decima
 septima Novembris sexaginta novem
 annos nata Maria Amalia Saxo-Ci-
 tiensis Ducissa. Insuper nocte, quæ
 diem octavam & novam Novembris
 interfecat, sexagenarius mortuus est
 Bruxellis Anselmus Franciscus Princeps
 de Tour & Taxis, vere Pater pau-
 rum & Religiosorum, quapropter hi
 ob insignia pene hæreditariæ clemen-
 tiæ beneficia vivam grati animi sui me-
 moriam assiduis precum suffragiis ad
 hanc usque diem contestantur. Deni-
 que Mense Decembri Pragæ Maria Joa-
 na Princeps de Lobkowiz quinqua-
 genaria, & Bruxellis anno vitæ suæ tri-
 gesimo quinto Elisabetha Alexandrina
 Princeps de Ligne fatis cesserunt.

§. XLI. *Scriptorum Religione Catholicorum decessus & opera.*

Hoc item anno ex Catholicis Scripto-
 ribus non pauci ob doctissimas suas
 lucubrationes de Ecclesia & Republica
 Literaria optime meriti vivis erepti
 fuerant: Hos inter jure primus recen-
 setur Edmundus Martene celebri-
 sum Benedictino - Maurianæ Congre-
 gationis